

271

269

275

265

280

260

320

220

370

170

Ende

Anfang

260

vertimus nos ab Africa in Asiam et Rhodum appulimus. Quanta autem ibi fuerit violentia et agonia, oculis perspeximus cum stupore et ammiratione et non sinepiarum lachrimarum effusione. Invenimus enim per circuitum urbis totum campum defossatum subterraneis habitaculis et diverticulis repletum, et mirae humanae industriae ibi opera vidimus. Sed et corpora humana inhumata ibi multa valde invenimus, et campum humano sanguine infectum et multa membra abscissa dispersa vidimus in littore et in terra et multam congeriem sepulchrorum; nam obsidionis tempore ceciderunt, ut dicitur, novem millia Turcorum, et millia XXV vulneratos et mutilatos abduxerunt. Vidimus etiam deturpatam faciem pulcherrimae civitatis, ita ut prioris urbis facies penitus perdita esse videatur, muri enim crassissimi et turres altissimi, propugnacula et dominorum palatia tamquam gigantea cadavera prostrata jacebant. Nec mirum! injecta enim (164 a) fuerunt per Turcos tria millia quingenta saxa bombardarum sphaerica, quibus vidimus conspersas plateas, sed et super muros et in fossatis ingenia bellantium mirabilia perspeximus.

Porro ibi victores laetissimos invenimus, laborantes in ruinorum remotione et murorum ac turrium novarum exstructione, primo tamen turre molendarum, quos omnes dejeicerant inimici, erigere satagebant pro quotidiani panis usu. In illa civitatis purgatione et reaedificatione vidimus Turcos, compedibus ferreis vincitos, portare saxa ad muri, quem destruxerant, reformationem. Sed et sanctissimus pro tunc papa, Sixtus IV., sollicitus manum apposuit ad illius urbis reaedificationem et per mundum maximis datis indulgentiis cunctos fideles ad hoc induxit. Et quia Judaei et Graeci, qui intra urbem tempore obsidionis inventi fuerant, fidelissime laboraverant seque audacius ad mortis pericula dederant per urbis defensionem, indulsit idem papa, ut Judaeis nova aedifiearetur synagoga, dispensans in juribus et legibus hoc vetantibus sub pena L librarum, ut patet C. ti. infi. et C. Judaei de civitate etc. De Judaeis et ibidem C. consuluit. Ipsi et Graecis secundum eorum ritum jussit fieri ecclesiam.

Cum ergo civitas jam reaedificata staret, occulto Dei judicio aliud turbativum Rhodiis accidit, improvise enim tota insula tremere coepit et tanto motu agitabatur, ut turre, quas Turci reliquerant, dejeicerentur, et muri, quibus prae crassitudine nocere non potuerant,

